



Venerabili Fratri

ANGELO SAN CASIMIRO FERNÁNDEZ, O.A.R.

Episcopo Alaiuelensi

Singularem vitae tuae eventum, Venerabilis Frater, aureum scilicet sacerdotalis ordinationis iubilaeum, quod die sabbato ante memoriam sancti Francisci Assisiensis hoc anno feliciter incidet, fere exeunte Anno Vitae Consecratae dicato, commemorare per has Litteras cupimus et una cum universo grege tuo, certo turmatim te circumstante in cathedrali ecclesia, fausta hac in celebritate sinceris ominibus et votis Nostris fraterno cum affectu te prosequi.

Populi tui fide et pietate alitus, adhuc iuvenis Domini vocem percepisti te suum in ministerium vocantis. Studiis rite peractis, Ordinem Augustinianorum Recollectorum es ingressus atque die IV mensis Septembris anno MCMLXIV perfecisti professionem sollemnem. Insequenti quidem anno die III mensis Octobris sacerdotio auctus, primum Eucharistica Hostia litasti. Nonnullos post menses, relicta patria terra Hispaniae, motus missionali ardore Costaricham petiisti. Ibi multa munera tibi commissa explevisti, sive pro christifidelium sanctificatione sive pro Ordinis tui sodalium utilitate.

Anno MCMXCV sanctus Ioannes Paulus II Episcopum te nominavit Civitatis Quesadensis. Anno autem MMVII Veneratus Decessor Noster Benedictus XVI regimen tibi concredidit dioecesis Alaiuelensis, quam octo iam annos gubernas. In moderandis dioecesibus tibi commissis varia incepta sapienter es exsecutus. Operam nempe sedulo promovisti evangelizationis, religioso compulsus spiritu veraque pastoralis caritate.

Vir altae spiritualitatis, semper conatus es spontanee et voluntarie pascere gregem Dei (cfr 1 Pe 5,2). Laudamus etiam tuam strenuam fidelitatem in Magisterio Pontificio servando nec non oboedientem sinceramque erga Ecclesiam et Beati Petri Successorem pietatem, quibus Decessorum Nostrorum ac Nostram meruisti dilectionem.

Sed etsi omnia opera tua et merita in memoriam revocare non possumus, haec pauca sufficiant ad industriam tuam extollendam. Nos profecto, Venerabilis Frater, tibi episcopale opus peragenti vires a Christo Domino expostulamus atque vitae serenitatem, dum te gregemque tuum suavi commendamus intercessioni Beatae Virginis Mariae, quae totius Ecclesiae Mater est atque omnium virtutum exemplar.

Accipe igitur, Venerabilis Frater, hoc Nostrae caritatis et liberalis benevolentiae documentum una cum Benedictione

Apostolica, quam caelestis gratiae pignus tibi in primis peramanter impertimus, deinde tuis sacerdotibus, religiosis viris et mulieribus, cunctaeque carissimae communitati Alaiuelensi tam singulare sui Pastoris sacerdotale iubilaeum summo cum gaudio celebranti, simulque pro gravi Nostro Petrino ministerio rite explendo preces enixe poscimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Septembris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

